

ad ea son sonaynem s^um s^um
uo u^o me orat s^um s^um
ne or s^um s^um s^um
ouu o s^um s^um s^um
am s^um s^um s^um
am s^um s^um s^um
am s^um s^um s^um
am s^um s^um s^um
am s^um s^um s^um
am s^um s^um s^um
am s^um s^um s^um
am s^um s^um s^um
am s^um s^um s^um

102



17/15

9.9.18

14

Be

Theol. D. VII. 331.



10
DE NATIVITA=
TE CHRISTI,

CONCIO MAGISTRALIS, PLVRIMIS HISTORIIS
lectu iucundissimis, & in Eccle=
sia Romana prorsus authen=
ticis stipata.

Autore

PETRO DE NATALI=
BUS.

ANNO M. D. LXXI.



Irca Christi natiuitatem tria sunt consideranda: scilicet nouitas admirabilis: veritas infallibilis: & utilitas inestimabilis. Nouitas admirabilis attenditur ex parte facti: quia Deus homo factus est. Nam ut dicit Bernardus: in eadem persona: aeternum, antiquum, & nouum mirabiliter conuenerunt: aeternum scilicet diuinitas: antiquum scilicet caro ab Adam transducta: nouum scilicet anima de nouo creata. Quod autem Dei uerbum idem permanens incarnatum fuerit: & si humanam rationem transcendat: tamen aliquo exemplo potest ostendi. Constat enim uerbum, quod est in mente hominis adeo occultum: quod neq; uideri neq; audiri: neq; tangi uel contrectari potest: si tamen litteris scribatur, nullatenus in sui substantia commutatum, fit legibile: & per consequens visibile: & audibile. Insuper est manibus contrectabile: immo & quantum ad

A 2 litte-

litterarum formam destructibile redditur.
Similiter Verbum Dei quod in mente di-
uina aeternaliter genitum est, incommuta-
bile permanens quod erat spirituale & in-
uisibile, per carnem assumptam, visibile &
contrectabile: imo & quantum ad huma-
nitatem passibile factum est. Secundo at-
tenditur ex parte modi, quod natus est de
virgine, & sine dolore atq; pollutione ma-
tris, & salua eius semper integritate. Hoc
autem fuisse quinq; rationibus probatur.
Primo per Prophetiam Isaia. 7. Ecce virgo
concipiet & pariet filium. Secundo per
figuram. Hoc enim figuratum est per vir-
gam Aaron, qua floruit: & per portam Eze-
chielis, qua clausa permansit. Tertio per
custodiam. Ioseph enim, eo quod eam custo-
diuit, testis sue virginitatis fuit: ut dicit
Augustinus. Quarto per experientiam. Nam
ut habetur in libro de infantia. Ioseph ad
virginis puerperiū, ut morem seruaret pa-
trium: duas obstetrices aduocauit, scilicet
Zebel & Salome. Zebel igitur parientem
considerans exclamauit virginē peperisse:
eo quod nulla signa corruptionis vidisset.
Salome

Salome autem dum incredula probare vel-
let: cum manum apposuit: confestim ma-
nus aruit. Iussu tamen angeli sibi apparen-
tis, puerum pœnitens tetigit, et continuo sa-
nitatem recepit. Quinto per rationis eui-
dentiam. Nam ut dicit Anselmus, quat-
tuor modis potest Deus producere hominem
scilicet sine homine & sine femina: sicut
fecit Adam. De homine sine femina, sicut
fecit Euam. De homine & femina: sicut
communis probat usus. Restabat igitur
quartus modus de femina videlicet sine
homine: sicut in Christo mirabiliter factum
est. Alioquin diuisio modi producendi in
Deo apparuisset imperfecta. Tertio atten-
ditur talis nouitas ex parte temporis. Nam
in temporis nouitate filius Dei natus est. Et
quantum ad annum: quia in anno pacis
uniuersalis in toto mundo videntis: ut di-
ctum est: & in anno descriptionis orbis: ut
per hoc daretur intelligi, quod ille veniebat
in carne: qui electos suos ascriberet in
æternitate: ut dicit Gregorius. Et quantum
ad mensem, quod in mense, imo in signo
quo dies punctaliter incipiunt crescere: ut

ex hoc prefiguraretur, quod Ioannes Baptista dixit. Illum oportet crescere: me autem minui. Debet enim humana vita in se deficere: in Christo proficere. Et quantum ad diem: quod in die Dominica, quæ fuit prima dies: in qua lux corporalis à Deo principium creaturarum producta est: sic & die isto: qui est post seculi renouati: ille qui est lux mundi vera: & primogenitus ac principium creaturæ Dei: corporaliter natus est. Et quantum ad horam. Quod in media nocte: ut scilicet medio tenebrarum tempore lux noua adueniens mundi tenebras illuminaret. Quarto attenditur ex parte loci: quod natus est in Berthelem, quod interpretatur Domus panis. Ipse namq; est: qui de ipso dicit Ioannis. 6. Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi.

Veritas autē infallibilis natiuitatis dominicæ, per quam ipsa natiuitas comprobatur: ostenditur per omnes creaturas. Et primò per creaturam quæ habet purum esse, quæ sunt elementa & lapides

lapides. Primum enim declarata est
per cœlum in parte orientali. nam in
ipsa die natiuitatis: vt habetur in chro-
nicis, Tres soles in oriente in cœlo ap-
paruerunt: qui paulatim in vnum cor-
pus solare redacti sunt. Per quod inue-
nitur, quod vnius & trini Dei noticia
mundo oriebatur. Item in parte occi-
dentali. Nam vt ponit Orosius. Cum
Romani Octavianum pro Deo adorare
vellent: eo quod omnia sibi ad votum
succedere conspicerent: ille triduanam
induciam petijt: Sibillam prophetissam
aduocauit: eamq; superinde consuluit.
Cui die natalis Domini in camera Cæ-
saris oranti: media die circulus aureus
apparuit circa solem: & in medio vir-
go puerum baiulans: & litteris aureis
inscriptum: Hæc est Ara filij Dei vi-
uentis. Tunc Sibilla Octavianum ad-
uocauit: visionem ei ostendit: & puer

A 4 rum

rum illum ipsa die natum dixit: quem
Augusto maiorem esse asseruit: quem
imperator adorans eidem sacrificavit
in quo loco nunc ædificata est Ecclesia
quæ dicitur sancta Maria Ara cœli. Se-
cundo ostensa est per elementum I G-
N I S qui ea nocte per totū orbem cun-
ctos Sodomitico vitio laborantes extin-
xit: vt dicit Hieronymus in glosa su-
per illo verbo Isaie. 9. Lux orta est eis.
Tertio per elementum AERIS. Nam
vt dicit Chrysostomus. Ea nocte Magis
super victoriam montem orantibus
stella in aère de nouo producta & coru-
scans apparuit: quæ eis natum Domi-
num nunciauit: vt tractabitur in festo
Epiphaniæ. Quarto per elementum A-
QVÆ: vt enim testatur Innocentius
tertius. Fōs aquæ qui de taberna emeri-
toria: vbi nūc est Ecclesia sanctæ Ma-
riæ trans Tyberim Romæ cōsurgebat in
liquorem

liquorem olei versus: tota die natiuitatis vsq; in Tyberim profluxit. Quinto per elementū TERRÆ. Scribit nāq; Damascenus super illo verbo Psalmi. Nox sicut dies illuminabitur: quod istud nocte natiuitatis dominicæ adimpletum fuit, qua nox in hora natiuitatis eiusdem, videlicet nocte media, in claritatem diei conuersa est. Et quia ipsa lux ad patres, qui erant in limbo descendere non poterat, Terra se in pluribus locis aperuit, & per eius rimas lux ad patres vsq; descendit: & tunc adimpleta est prophetia Isaie. 9. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: Quæ in missa noctis ipsius legitur prout ad litteram contigisse dicitur. Sexto per creaturam compositam, quæ habet purum esse, vt sunt lapides & metalla, Nam vt dicit Innocentius, Romani Templum Pacis tempore

A V romuli

Romuli construxerunt & statuam posuerunt, & petentes a dijs quantum durare debeat, audierunt, donec virgo pariat, quod impossibile arbitantes, templum æternum putauerunt. ideo & in foribus scripserunt. Templum pacis æternū. Hoc autem in nocte dominicæ natiuitatis cum idolis corruit. Legitur etiam quod Hieremia propheta in Ægyptum descendens post mortem Godolie, signum regibus Ægypti dedit, quod eorum idola corruerent cum virgo filium pareret. Vnde sacerdotes idolorū imaginem virginis filium baiulantis in sacro loco templi statuerunt, quæ propheta in nocte natiuitatis dominicæ adimpleta est. Septimo ostensa est per creaturam quæ habet esse & viuere: vt sunt Plantæ. In hac enim nocte: vt scribit frater Bartholomeus, Vineæ Engaddi præter cōsuetum tempus quæ scilicet

licet proferunt balsamum: frondes, flores,
res, & fructum protulerunt. Experimen-
mento probavi, quod si pulegium colles-
tum sit in festo natiuitatis beati Io-
annis baptistæ in aurora diei: & ex
eo factus manipulus seruetur vsq; ad
diē dominicæ natiuitatis, et ponatur in
altare, in quo prima missa est de-
cantanda: in missa quæ media nocte
cantetur in hora natiuitatis dominicæ
pulegium aridum reuirescit. Octauo
per creaturam, que habet esse viuere &
sentire. Vt sunt animalia: Vt enim scri-
bitur in libro infantiæ: Ioseph cum Ma-
ria proficiscens Betlbeem, duxit bouem:
de cuius precio venditi viueret: & asi-
num vt prænantem commodius porta-
ret. Natum verò Christum ipsa duo
animalia cognoscentes, eundem flexis
genibus adorauerunt: vt impleretur
illud Isaie. i. Cognouit bos possessorem
suum:

Suū: & Asinus presepe domini sui. Mo-
dico etiam tēpore ante natiuitatē Chri-
sti: vt ponit Eusebius: boues arantes
bubulco dixerunt: homines deficient
& segetes proficient. Nono ostensa est
per creaturam, quæ habet esse viuere
sentire & intelligere: vt sunt Angeli,
Homines et Demones. Nam vt dicitur
Luce 2. Dum pastores circa turrem
hora natiuitatis dominicæ super gre-
gem suum vigilarent: vt de more an-
tiquorum pastorum fuit, in vtroq; sol-
stitio æstiuali scilicet et hyemali facere.
Angelus domini illis cū nimia clarita-
te apparuit, eisdem natum saluatorem
nunciauit, & vt ad eum visitandum
pergerent admonuit, & subito facta
est cum angelo multitudo militiæ ce-
lestis laudantium & dicentium. Glo-
ria in altissimis Deo.

Item ostensa est per Homines fideles

&

& infideles. nã fideles pastores summo
diluculo ad verbum natum videndum
festinarunt, & quæ dicta erant illis,
vera cognouerunt, & mirati redeun-
tes eiusdem natiuitatis testes fuerunt.
Item & propheta omnes veteris testa-
menti, qui huius natiuitatis nuncij &
præcones extiterunt, ipsamq; futuram
infallibiliter verissimis oraculis prædi-
xerunt, quæ per singula narrare nõ est
opus. Item cognita & manifestata sus-
cit etiam per infideles. De hac natiui-
tate Balaã ariolus prophetauit Num:
24. Orietur stella ex Iacob etc. Itẽ Vir-
gilius in bucolicis. Magnus ab integro
seclorum nascitur ordo, iam redit &
virgo: redeunt saturnia regna. Et nos
ua progenies cælo dimittitur alto &c.
Item Sibylla Erythrea, que fuit tẽpore
Troianorũ inter cætera ait, In nouissi-
mis autem temperibus humiliabitur
proles

Deus, & humanabitur proles di-
uina, iacebit in fœno agnus, & offi-
cio puellari educabitur Deus & ho-
mo &c. Item scribitur in commento
Boetij de disciplina scholastica, super il-
lo verbo, Platonis probata diuinitas,
quod in tūba Platonis reperta est lami-
na aurea, in qua scriptum erat. Credo
in filium Dei nasciturum de Virgine
passurū pro humano genere, & die ter-
tia surrecturum. Item manifestata est
per dæmones. Refert Timotheus histo-
riographus, se in antiquis Romanorum
chronicis inuenisse quod Octavianus
35. anno imperij sui capitolium ascendit
& quis post se rempublicam guber-
naret, a dijs quesuit. Et responsum est
sibi, quod puer Hebreus ex Deo viuēte
ante secula genitus, non multū post
ex intacta Virgine nasciturus.

Vtilitas

*Utilitas autem inestimabilis est nobis
collata per Christi natiuitatem. Primo quā-
tum ad demonis confusione. Nam antiquus
hostis nobis: ut ante: praualeere non potest
unde legitur quod Hugo cluniacensis in vi-
gilia natiuitatis domini vidit beatam vir-
ginem filium in vlnis gestantem: & de fe-
sto natiuitatis filij congaudentem: atq; ini-
mico nostro: qui ante hunc diem hominibus
praualebat insultantem. Ad quam vocem
diabolus de humo erupit & verba dominice
exprobrare cepit. Sed mentita est iniquitas
sibi: quia ab oratorio fratrum deuotio: a re-
fectorio lectio: a dormitorio stramentum vi-
le: a capitulo patientia ipsum eiecit. Secun-
do ad venia impetrationem: unde cum me-
retrix lasciuia de venia desperaret: qua ad
pœnitentiam redire volebat: cogitans de
iudicio reputabat se ream & inferno se
dignam: de paradiso se immundam: de
passione ingrati. Cogitans autem quod
pueri de facili placantur: puerum Iesum
per eius infantiam adiurauit: & ante Chri-
stū deflens vocem de sua venia audire me-
ruit. Tertio ad morbi curationem. Nam ut
dicitur*

*dicit Bernardus, triplici morbo laborabat
genus humanum. Natiuitas erat immun-
da: vita peruersa: mors periculosa. Venit
Christus cuius natiuitas nostram purgauit:
cuius vita nostram instruxit: cuius mors
nostram destruxit. Quarto ad superbia
humiliationem. Nam superbia primi ho-
minis fuit contra Deum: quia eius praece-
ptum contempsit: usq; ad Deum, quia usq;
ad appetitum diuinitatis se erexit: supra
Deum, volendo quod Deus noluit. At fi-
lius Dei: ut dicit Damascenus: humiliavit
se propter homines: quod venit propter eo-
rum salutem: usq; ad homines, propter
nascendi modum consimilem: & su-
pra homines, propter natiuitatis
modum singularem. Hac
Damascenus.*

154802


AB: 154802

ULB Halle 3
003 864 588



5b.

VO 17



¹⁰
DE NATIVITA-
TE CHRISTI,

CONCIO MAGISTRALIS,
PLVRIMIS HISTORIIS
lectu iucundissimis, & in Eccle-
sia Romana prorsus authen-
tici stipata.

Autore

PETRO DE NATALI-
BUS.

ANNO M. D. LXXI.